

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3760

Auteur(s) : Paris (official)

Bénéficiaire(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1272, décembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'official de Paris notifie la concession faite par Laurent de Guiseniers, chanoine de Saint-Quiriace de Provins, à Philippe [III], roi de France, et à ses héritiers, de ses droits tenus à Rougemontier pour la pension annuelle de 15 livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 817, p. 190-191.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Parisiensis, salutem in Domino. Notum facimus quod constitutus in presentia nostra magister Laurencius de Guisengniis, canonicus ecclesie Sancti Quiriaci de Pruvino, asseruit quod, cum ipse olim haberet et possideret in parrochia de Rubeo Monasterio, Rothomagensis diocesis, quoddam manerium quod dicitur manerium de Londo, continens duas acras terre ; item tres acras terre arabilis in clauso de Ammenesches, eidem manerio contiguas ; item sex alias acras terre prope idem manerium ; item tres solidos turonensium et tres capones annui redditus, super quibusdam possessionibus quas tenet Thomas de Londo, percipiendos annuatim ; idem magister Laurencius omnia predicta Roberto de Porta, in dicta parrochia commoranti, et ejus heredibus, pro decem libris turonensium annui et perpetui redditus concessit, sibi a dicto Roberto solvendis, et super dictis rebus percipiendos quolibet anno ad festum nativitatis beati Johannis Baptiste, quas quidem decem libras turonensium et omne jus et accionem quod et que dicto dicto magistro Laurencio competeabant aut competere poterant in rebus predictis cum toto usagio, franchisesiis et coustumis que habebat vel habere debebat, tam in nemoribus quam aliis rebus quibuscumque racione predicti manerii aut alicujus predictorum, idem magister Laurencius recognovit et confessus est in jure coram nobis se dedisse concessisse et quittavisse im perpetuum excellentissimo domino Philippo, Dei gratia, regi Francorum et heredibus ejus, pro quindecim libris turonensium annue pensionis percipiendis ab ipso magistro Laurencio, quandiu vixerit tantummodo, in prepositura Parisiensi, quolibet anno in festo Beate Marie Magdalene, ita quod, ipso magistro Laurencio de medio sublato, dictus dominus rex ab hujusmodi pensionis prestacione liber remaneat penitus et immunis. Et cessit prefatus magister Laurencius coram nobis eidem domino regi et suis heredibus et in eos penitus transtulit omnia jura et acciones, usagia, franchisesias et coustumas que sibi in predictis rebus omnibus et singulis vel earum occasione competeabant vel competere poterant in futurum, promittens fide in manu nostra prestita corporali, quod contra concessionem et quittacionem hujusmodi seu contra premissa vel aliquid eorumdem per se aut per alium deinceps non veniet, ullo jure vel modo, et quod dicto domino regi et suis heredibus et causam habituris ab eis garantizabit, liberabit et defendet im perpetuum contra omnes predicta ab eo dicto domino regi, ut dictum est, concessa, pro

quibus omnibus et singulis supradictis tenendis et adimplendis, dictus magister Laurencius obligavit coram nobis dicto domino regi se et heredes suos cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus, ecclesiasticis et mundanis, presentibus et futuris, ubicumque fuerint et poterunt inveniri, supponens se, quantum ad hec, jurisdictioni curie Parisiensis. In cujus rei testimonium, sigillum ejusdem curie una cum sigillo ipsius magistri Laurencii, quo se uti dicebat, presentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, mense decembris.